



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.  
Libri Qvinqve**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

IX. Romæ viuens adhuc, coloniæ se sistit visendum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

probitas intactum conseruat thesaurum diuinæ caritatis , quādiū nulla impugnationis obstinatæ impressio , quietum animum quatiet . At si valida pertinaxque institerit , sentiet plane tunc alio robore opus esse ad sustinendum hostem , & vincendum , quam quo se placida statio facile tuebatur . Quod iuuenis de quo hic sermo est , nimis sero aduertit . Laetabat illum dolosa pace cacodæmon , vigorem virtutis , & animi vltro per se in libris stolidè absumentem ; viribus accisum , & prope attritum conspicatus , nec repugnando satis parem , tormentum admouet misero tentationis vehementissimæ , pœnéque adigit ad ditionem . Quod tamen esset adolescens mentis valde bonæ , diuinam manum in auxilium poscebat , atque ut poterat , sustentabat se ; hic eius miserritus Ignatius , qui decennio ante obierat , cogitationibus suis malè colluctanti , & tantumnon victo , spectabilem se ficit , severitate paterna obiicit quod postposuisse virtutis studium literis ; haud quaquam enim eo consilio ex mundi nugis in Societatem euocatum , claudensque hoc epiphonemate reprehensionem , plus , inquit , virtutis , literarum minus ambiendum , móxque ex oculis recessit . Quibus iuuenis ab saeva qua distrahebatur animi tempestate liber ( nec enim tantum correcturus , errantem aduenerat ) ex eo tempore , diuinis addictissimus persistit , eoque virtutis pertigit , vt Germania Assistent fieret , quo simul & munere , & vita defunctus est Martij 21. anno 1597 . Sed triduo ante , Antonio Menageo cui postremum ad mortem se comparans confessus est , hoc vti narravi aperuit .

**IX.** Emendando alumno , hanc sui copiam fecit , mortuus pridem pater ; alium viuens , & Romæ consistens , eodem tempore adspectu suo consolatus est Coloniæ commorantem Leonardum Kessellum Societatis operarium insignem , & primariæ virtutis , videndi Ignatij incredibile desiderium tenebat , quod de illius sanctitate sèpius audiret quæ omnem vincenter admirationem . Scribit ad eum enixè flagitans , sibi ut Romanum Colonia liceret excurrere , ut eius conspectu frueretur . Erat id iter longissimum , Leonardus affecta aetate , & valetudine , sed Coloniæ imprimis necessarius , ob eum quem illic edebat in animis fructum sanè ingentem , propter quem nullis laboribus parcebat . Optabat tamen Ignatius eius desiderio obsequi , & credibile est quod ei respondit à Deo accepisse ; rescripsit enim , non esse quod tantum itineris videndi sui causa susciperet , nec defuturam Deo opportunitatem qua se inuicem Coloniæ vidarent . Hæsit responso Leonardus , diuinare non valens qui posset tandem id fieri , donec aliquando iam nihil minus expectans , aut cogitans , videt sibi obuiam venire Ignatium , coramque consistere , ut qui ad hoc aderet , quo ab eo commode spectaretur : cernendum se illi per otium præbuit , vicissim illum interea , ore spectans , tam læto , atque propitio , ut se deinde oculis subducens inexplicabili gaudio cumularit .

**X.** Aluarus de Molina ex S. Dominici Ordine Definitor , regendis cœnobitis , aliisque honorifice perfunditus , doctrina , & virtute notissimus , Limæ